

Letter 123: 1521, [Halle?], Capito to N.

The manuscript of the letter is in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki.Ar. 25a, 124. The letter may be addressed to Andreas Karlstadt, whose letter (Ep. 124 below) appears to be a reply and contains literal parallels.

Capito ad fratrem quendam contra antinomos

S. P. D. Semper constitui ad vos proficisci, ut ad os colloquerer de communibus studiis, sed invitum occupationes detinent. Gaudebam vehementer tamquam de renascente ecclesia exertis tot ingeniis viridis et acribus adversus pestilentem superstitionem barbariei, verum rem secus
5 accidere video. Sunt enim curiosuli qui ausint omne Testamentum Vetus explodere et negare quasi a malo seductoreque demone conditum, quod peccatum maledictum abominatioque sit et seductio mundi. Sunt qui instauratam legem ubique velint. Sunt rursus qui zelum habent immodicum ac feruntur tanquam luculentus torrens. Hi negaturi vim legis ad salutem conducere semel omnem legem divinitus datam evertunt, non animadvertentes quod *iusto tantum lex non sit*
10 *posita, iniustis autem et adulteris*, quos leviter tangit salutis et gloriae compendium, immo calumniantur furiose quidquid legum etiam principes mundi posuerunt. Illos quis probabit? Et leges requirere publicum ordinem, civilitatem Christianam, alioqui cruentis tragediis omnia implebuntur, postquam cuique dederis quidvis in publicum affirmandi. Dolenter refero huiusmodi male consulti homines accessionem faciunt obscuris sophisticis, quorum nugis [ad]
15 apertam ordinis conturbationem nondum aperta dataque legitur [?]. Salubre est pellere pravos mores, pium corrigere lapsam pietatem et contra noxium esse authorem contentiosi dogmatis. Finis et scopus praecepti et item evangelii charitas est, ex puro corde et conscientia bona et fide non ficta. Quamlibet perlaudant charitatem, si insynceram, si impurorum cor suos affectus, cupiditates, morbos atros immiscet, errant seque venditant, suo obsequuntur animo, aut rem
20 facere aut in pretio esse concupiscunt, non Christum instruunt neque bonos mores revocare conantur et tandem circa fidem haud dubium naufragium faciunt. Quorsum haec? Nimirum ut in arce, in primo eruditionis fastigio constitutus tamquam de specula prospicias prohibeasque irruentes imminentes hostes qui falsa imitatione verum evangelii fructum produnt, qui veram Christianamque pacem turbant virulentis affectibus, auditorum simplicitatem inficiunt, irritant in
25 nos magistratus, provocant ad execranda studia nostra, pietatem nostram, propensionem animi nostram ad officia religionis. Equidem mihi probe, ut opinor, consulens intra pelliculam me continebo conscius meae parvitas, in nullius aciem descensurus, quum neminem ducem video satis idoneum, qui ubique feruntur potius insano impetu quam sapienti piaque moderatione. Vale et Christi gloriam iuxta vocationem tuam tranquille quaeras.